

frangitur, 1. Cor. II. v. 24. 3. Quisquis ederit panem hunc indignè, reus erit corporis Christi. Affer huc Metonymiam Calvinianam: & totum contextum Paulinum vitia veris, & expressæ veritati aper- tissimè contradixeris.

67. Præterea cum Metonymia subiecti definiatur, quando nomen proprium rei subiectæ ad significandam rem adiunctam tra- ducitur: Mature deliberent Calvinistæ, An Corpus Christi velint habere pro subiecto panis, & panem pro adiuncto corporis, vel con- trà. Quicquid statuerint, absurditates non effugient. Nam in schola Christiana veritatis corpus Christi dicitur uniri pani sacramentali- ter: quæ unio non est copulatio subiecti & adiuncti, vel substantiæ & accidentis, sed est duarum rerum, terrenæ & cælestis, in unum sacra- mentum admiranda & supernaturalis coniunctio, per verbū Chri- sti facta: ut panis ille, quem frangimus, sit *ἡ ζωὴ* corporis, & pocu- lū benedictionis, quod benedicimus, *ἡ ζωὴ* sanguinis Christi. Quàm periculosè igitur hinc errent Calvinistæ cordati intelligunt.

68. Quidam ut effugiant identicam, distinguunt inter si- gna generalia & specialia: affirmantes panem esse signum corporis: & corpus ipsum dici pro signo, non autem pro ipso pane. Hanc igitur esse Propositionis cænæ sententiam: Panis est signum corporis. Quos refuto sequenti syllogismo. Vbicunq; signatum est speciale sive pro- prium, & ratio signandi specialis & definita, ibi signum etiam esse speciale & definitum oportet: idq; ex vi mutue relationis. In sacra autem cæna secundum Calvinianos signatum est speciale sive pro- prium, nempe corpus Christi, & ratio signandi est specialis & defini- ta, nempe sacramentalis. E. signum etiam esse speciale & definitum oportet, nempe panem. Affer nunc metonymiam subiecti signati; & non effugies, quin corpus accipiatur pro pane.

69. Nam si corpus accipi dicas pro signo corporis, termino illo generaliter & Logicè accepto, tum confunduntur notiones pri- mæ & secundæ, hoc est, ipsa res & termini artis. Ostendit enim ipsa praxis, tropos non explicari solis terminis artis, sed vocabulis ipsa-
rum